AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS EXAGITANDA DISPVTATIONIBVS DIE IOVIS XXII NOVEMB. IN SCHOLIS MEDICORVM PARIS. M. IOANNE HAVTIN DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An omni vlceri exſiccatio?

PRIMVM, & proprium Medici munus morbos tollere. hoc molitur præteritorum memoriâ, & ἀναλογισμῷ inſtructus Μνημονευτικός. Illud idem pollicetur Μεθοδικὸς iis remediis, quæ indicauêre ſibi ſuæ κοινότητες, quas falsò vocat euidentes, ſuiue affectus adſtrictio, fluxus, & ex vtroque mixtus. fruſtra vterque. rationalis optimè. vtitur hic profligandis morbis indicatione (comprehenſione iuuantis ſimul cum notitia nocentis adueniente, ſeu agendorum inſinuatione) non tantùm ab affectu: hic enim nil præter ſui ſublationem per contraria indicat, quæ indicatio æquè vulgi, & brutorum eſt, ac artificis: ſed & à cauſa morbifera, quæ genus remedij dicit, curationémque ſæpe mutat, ſicut & ſymptomata, affectus non item: à facultate, quæ menſuram: à loco, qui modum auxilij dictat: à tempore: à ſymptomatis, non quibuſuis, ſed iis tantum, quæ ſunt aut affectus, aut loci, aut facultatis. Indicatio generalis curat contrarijs. rectè. curatio namque morbi, eius depulſio. &, remedium id, quod morbum poteſt tollere. Sic intemperies calida frigidis: frigida calidis, intantùm naturalem ſtatum vincentibus, quantùm morbus naturam ſuperauit.

SIC HOS quidem ſuccos expellere, purgantibus, vel ſupernè, vomitu ſcilicet, hyeme ciendo. morbis longis magis conueniente. intermiſſionis tempore. non à toto purgante. vomitus vomitum curat. vel infernè. Hæc peculiarem ſibi humorem trahunt, vt magnes ferrum. ſanis moleſta. deleteria. vrentia. ſanguinis miſſione inferiora. morbis acutis maximâ cum febre non exhibenda. ſolis humoribus in motu, fluxu, & agitatione poſitis debita. æſtate difficilia. in alimento bona: non bona. clyſteribus. diureticis. ſudorificis. errhinis. venæ ſectione, in cane & ante canem periculoſa. vbi feruescens plenitudo acutiſſimam febrem accendit, ad animi deliquium tentanda. à venæ ſectione non ſtatim reficiendi. ſcarificatione. ſanguiſugis. per hæmorrhoïdas. illos verò humores ſiccare. dilatare conſtricta. conſtringere laxa. tenuare craſſa. tenuia incraſſare, vas, cutem, carnes & alia. complanare aſperata. exaſperare læuia. obdurare mollia. duriora mollire. ſtupefacere. excitare. retinere fluentia. maiora minuere. ſuperflua detrahere. torta dirigere. gibboſa corrigere. ſoluta vnire. Qui ſingulis contraria inuenerit, tum demum is erit medicus.

HABENT omnes noſtri corporis partes commune, vnionem. Hæc diuiſa in oſſe fractura, in qua etiam expectanda ſuppuratio. σχιδακηδὸν, ῥαφανηδὸν, καρυηδὸν, ἀλφιτηδὸν, differentiæ. In curatione quatuor, extenſio, conformatio, deligatio, depoſitio. In neruo conuulſio. In ligamento σπάσμα. In parte carnoſa, ſanie iam facta, vlcus, ſimplex: Cuius differentiæ, rectum, obliquum, pampini modo retortum, aduncum, magnum, paruum profundum, in ſummo reſidens, æquale, inæquale. Non ita propriæ, recens, inueteratum, in cute, carne, ſuperiorum, inferiorum partium. Compoſitum, ex ſymptomate, crucians, indolens, purum, ſordidum. Cum alio morbo δύσκρατον, φλεγμαῖνον, eryſipelatoſum, gangrænoſum, canceroſum, putridum, cauum, ſupercreſcens, phagædenicum. Cum cauſa, ſpontaneum. Cum cauſa & morbo, cacochymum, cacoëthes, rheumaticum, arroſum. Cum cauſa, morbo, & affecta parte, eroſio, quæ aut ſucci vitioſi ſoboles, aut ab igne fit aut medicamentis; caries, æſthiomenus, ſphacelus, dyſenteria, quæ ab atra bile lethalis. morbis lienis ſuperueniens, mala. Omnia cum ſimplicia, tum compoſita, humiditas perpetuò infeſtat.

INTERDVM vi morbi & ſymptomatum accedit ad vlceratam partem humoris plus ſatis (eſt enim illi propter imbecillitatem oneri quod ſanę eſſet leue & gratum) vt ſæpe eius vitio vlcera reddantur inſanabilia, & ad cicatricem perduci nequeant, perducta redeant. poteſt & vitium partis ex humore contractum id præſtare, ſicut & oſſis corruptio, quod, priuſquàm curetur vlcus, abſcedere debet. Eiuſmodi vlcera fiunt ſemper maiora & deteriora. Accedit quod in omni coctione, quæ fit in ſingulis partibus (propter quam duæ priores, quarum vitium corrigere nequit) etiam ſanis multa proueniant excrementa tam ſicca quàm humida: partes tam circumpoſitæ quàm ſubiacentes vlceri nutriri debeant, & vt plurimum in vlcere aliquid regenerari, à quibus operibus cum nunquam ceſſet natura partium, nunquam etiam aberunt excrementorum duo genera, craſſum quod ſordes dicitur, à quo vlcus ſordidum: tenuius (quod in ſanis abit per inſenſilẽ tranſpirationem vbi calor vegetus) dictũ ſanies, ab hac (in cancris ſaltem abluenda) vlcus humidum, quo minus humidum magis ſanum.

VLCVS ſi compoſitum fuerit cum alio morbo, hic prius tollendus. ſi lien auctus, ſi iecoris vitium aliquod, curandum. ſi phlegmone, œdema, eryſipelas, nigritia, ecchymoſis partem vlceratam obſederint, curanda ſuis remediis. Primus affectus, qui magis vrget. At vlcus cum luxatione maioris articuli, prius. In omni articulo, ſicut ſenibus & hydropicis periculoſum vlcus. Si cauum, caro regeneranda. ſolius naturæ opus. cuius materia probus ſanguis. cauſa ſine qua non, partis bona temperies. iuuans ſeu remouens impediens, ſarcoticum, detergens ſcilicet & ſiccans, vehementer quidem, ſi vlcus valdè humidum, pars natura ſicca: minus in natura humida vlcere minus humido: mediocriter in mediis, qualia ſunt thus, hordeacea, fabacea & erui farina: iris, ariſtolochia, panax, & pompholix. quorum hic ordo. panax & pompholix cæteris præſtant calore & ſiccitate: infima vtraque qualitate fabacea & hordeacea farina: thus medium tenet. Si caro ſupercreuerit, abſumenda exedentibus. nil hîc natura. Carne renata, ſi perierat cutis aliquid, cicatrice obducentibus opus eſt: ſin vniendum tantùm, agglutinatorio: illud valentius, hoc minus ſiccat.

Ergo omni vlceri exſiccatio.

ASSERIT ANDREAS DV CHEMIN SENOMANENSIS LAVALÆVS. Anno Domini 1601.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Michaël Toutain.
M. Steph. Gorjon.
M. Guill. Leſcaillon.

M. Nicolaus Iabot.
M. Anthonius de Cappe. Med. Reg.
M. Symon Pietre. Profeſſ. Reg.

M. Guillelmus de Baillou.
M. Herricus de Monanthæuil. Profeſſ. Reg.
M. Michaël Mareſcot. Med. Reg.